UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Officio Hominis Christiani In Persecvtione Constitvti

Lens, Jean de

Lovanii, 1578

Prosper.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30333

Visual Library

teſt niſi de hoc mundo exeatur, non ignorandum fuit quonam modo inter eos vera pietas non ſolum cognitione & aſſenſu integra, ſed etiam obſeruatione & factis inuiolata atq; inoffenſa teneretur. Quod ſi fortè cuipiam minus accuratè, minúſque plenè omnia quæ huc pertinebant exequi videbimur, is velim rationem habeat rerum noſtrarum afflictiſsimarum, quo tempore labor à nobis hic ſuſceptus eſt. Circumuallantibus enim vndique malis, ſæpenumero vel metus, vel mœror obturbabant. Namque in hoſce triſtiſsimos dies, non vnum duntaxat genus cladis incidit, ſed ſimul & hæreſis in perniciem graſſatur animarum, & bello, fame, peſte cuncta vaſtantur. Iam illis poſſum verſibus mala noſtra lamentari:

PROSPER.

Qui centum quondam terram vertebat aratris,
Æſtuat, vt geminos poſſit habere boues.
Vectus magnificas Carpentis ſæpe per vrbes,
Rus vacuum feſſis æger adit pedibus.
Non idem ſtatus eſt agris, non vrbibus vllis,
Omniaq; in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peſte, fame, vinclis, algore, calore,
Mille modis miſeros mors rapit vna homines.
Impia confuſo ſæuit diſcordia mundo,
Pax abijt terris, vltima quæq; vides.
Et ſi concluſo ſupereſſent tempora ſæclo,
Vt poſſet longos mundus habere dies:
Nos tamen occaſum noſtrum obſeruare deceret,
Et finem vitæ quemq; videre ſuæ.
Nā mihi quid prodeſt, quod longo flumina curſu
Semper inexhauſtis prona feruntur aquis?
Multa quod annoſæ vicerunt ſæcula ſyluæ,
Quódque ſuis durant florea rura locis?

Iſta manent, noſtri ſed non manſere parentes,
Exigui vitam temporis hoſpes ago.
Non ergo ſumus hic nequicquam in ſæcula nati,
Quæ pereunt nobis, & quibus occidimus.
Sed vitam æternam vita vt mercamur in iſta,
Vt ſubeat requies longa labore breui.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 17. in margine pro Cap. 17. Lege 9.
Pagina 47. L. 1. etiamſi aſſumpſerit.
Pagina 69. L. 29. Quia vnumquemque.
Pag. 110. L. 8. perficiendi facultas.